Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



In qua quisque vicem proprietatis habet
In qua cum propria res est vel publica morte
Nulla magis propria publica nulla magis
Ergo quid hic facio nisi quod deservio mundo
Mors mihi cras dicet en surge veni
Nil igitur superest nisi tantum religioni
Me conferre procul sit pretor ergo mora

Compunctio Brunelli

Sed quia diverse sunt species religionis
Nescio precipue que sit habenda mihi
Si cruce signatus rubea me confero templo
Trans mare me mittent solvere vota deo
Servus ero servum facient procul esse seorsum
Serviet et forsan in regione tyri
Non tamen ibo pedes sed equo qui pastus avena
Crassus et ad calces sit tener atque levis
Cuique pedem servans et fractis gressibus errans
Molliter incedat regula nostra docet
Scandere trotantem prohibet quoque regula nolo
Quod per me careat ordo rigore suo
Ingrediar miles ne candida pallia desint
Sed tunc ad bellum non rediturus eo
De cute corrigiam nostra soldanus habebit
Et comedet carnes bestia seva meas
Incertum cisus gladius mea viscera fundet
De tracto coreo cetera tradet humo

Sententia Brunelli de diversis religionibus

Rursum si fuero crucis hospitalarius ille

201v